

No. 399. 1329. 29. Juni.

Hermann und Meinher Burggrafen von Meissen eignen den Capellen Johannes des Täufers und der h. Margaretha zu Meissen Zinsen zu Messa, welche bisher die Capelle des h. Georg zu Lössnitz besessen.

Nos Hermannus et Meinherus dei gratia burgravii in Misna universis et singulis in perpetuum, quibus litterae praesentes exhibitae fuerint, volumus esse notum, quod discretis viris domino Petro de Martbach et domino Burkardo, perpetuis vicariis ecclesiae Misnensis, quatuor marcas argenti annui census, quas Petrus subditus noster in villa Messowe^{a)} de duobus mansis et de uno vbirschare ibidem hactenus dedit et dare singulis annis perpetue tenebatur cappellae sancti Georgii in Lesnitz, cum omni iure et utilitate quae in eisdem bonis hactenus sunt habita, aut nos habuimus quovis modo, nihil nobis in eisdem bonis iuris aut utilitatis reservantes iuste vendidimus, recompensa tamen iam facta, et restauro sufficienti dictae capellae sancti Georgii in Lesnitz in bonis aliis, adeo quod dominus Johannes iam plebanus in Lesnitz acceptato restauro cuius interest se et cappellam indemnem fore sentiens, omni iuri, quod praetextu cappellae eiusdem habere potuit aut ipsa cappella quomodolibet habuit, renunciavit publice libera voluntate. Appropriatis igitur dictis quatuor marcis per illustrem quondam dominum Fredericum marchionem Misnensem et nunc ad instantiam nostram per illustrem dominum nostrum Fridericum, filium eius marchionis, eadem proprietate bonorum eorundem translata ad cappellas videlicet sancti Johannis baptistae et sanctae Margaretae in ecclesia Misnensi, cum omnibus iuribus et pertinentiis, iuxta quod in appropriationis litteris continetur, dictus dominus Petrus de Martbach, et qui sibi successerint in cappella sancti Johannis baptistae lampadem ardentem singulis noctibus perpetuo, tam de nunc appropriatis, quam de aliis bonis hactenus ad eandem cappellam pertinentibus in solidum tenentur singuli procurare. In cuius rei testimonium praesentes litteras nostro dedimus consignatas sigillo praesentibus honorabilibus viris, dominis videlicet Alberto praeposito maiori, Lutoldo decano, Heinrico de Gubin praeposito Haynensi, Johanne de Strelis archidiacono Lusatiae, Hermanno praeposito Budesinensi, Johanne plebano in Lesnitz, Johanne de Lomatsch, Gunthero de Deere, Hugone de Tubenheim et ceteris fide dignis. Datum Misnae anno domini millesimo trecentesimo XXVIII^o. in die beatorum apostolorum Petri et Pauli.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln der Burggrafen Hermann (stehende Figur mit Wappenschild) und Meinher (Wappen ohne Helm).

Hasche Magazin VIII. S. 227.

a) Messa, Par. Lomnatzsch.

No. 400. 1329. 4. Juli.

Markgraf Friedrich eignet auf Bitten Hermanns und Meinhards Burggrafen von Meissen den Capellen der h. Margaretha und Johannes des Täufers Jahrzinsen zu Messa, welche von dem verstorbenen Vater derselben vordem der Georgencapelle zu Lössnitz überwiesen worden waren.

Nos Fredericus dei gratia Thuringiae lantgravius, Misnensis et Orientalis marchio dominusque terrae Plysnensis ad omnium quorum interest seu interesse poterit,